

5  
Deo adventu nuptias cum gloria confirmaturus est, *Apo. XIX, 9.* Ob quæ beneficia Sponsæ præstita, hunc solum Sponsum amare, & ad illum unicè venire debet, ne fidem datam violare videatur; Johannes autem, & reliqui verbi ministri, nõ dicuntur servi, sed amici hujus Sponsi, quia ita Christo ministrant, ut simul Sponsi finem nõrint, & propter ejus honorem, gaudium percipiant, *Job. XV, 15.* Horum officium est animum Sponsæ non à Sponso abalienare, sed conciliare, non per adulterium sibi copulare, sed castam Sponso exhibere, *II. Cor. XI, 2.*

LI. Porro utitur Christus quoq; suis ministris ad hoc, ut stent, quod *Heinsius in Arist. p. 358. ad vers. hunc 29.* ex more Judæorum de iis explicat, qui ad velamen sub quo Sponsus cum Sponsa colloquebatur, & ab iis Chuppa dicitur, stabant, Sponsiq; inde iterũ egredientis vocem audientes, maximo gaudio exultabant: nos simpliciter, pro Sponso in rebus necessariis peragendis ministrare sumimus, *Deut. X, 8. I. Sam. XVI, 22.* ita ut nihil aliud efficiant, nisi quod à Sponso Christo efficiendum audiant. Contra *Pontif. eorumq; ἐπιλοθησκείαν §. XLIV.* & ob vocem Sponsi amoris & solatij plenam ad ipsam Sponsam Ecclesiam prolatam, gaudio gaudeant *χαρὰ χαίρωσι* quod summum gaudium indicat: Cum igitur jam Johannes suo ministerio viam parasset, & ex affluxu omnium hominum ad Christum Sponsum, testimonij sui officium se feliciter obiisse, suæq; missionis finem consecutum esse colligere luculenter posset, suum tandem intimis votis & summo animi desiderio exoptatum gaudium perfectum jam & repletum dicit.

LII. *Ἐκεῖνον δὲ αὐξάνειν*; scilicet ex decreto Patris pro hominum salute necesse est, ut jam Dominus ipse seu Sponsus Authoritatem majorem accipiat, Johannis autem tanquam ministri autoritas vilescat & minor fiat. Omisissis n. Patrum quamplurimis ad hunc locum allegoricis explicationibus, crescendi verbum, ut & ipsa Scriptura, *Gen. XXVI, 13.* de gloria & frequentia accipimus; non quidem quod Christus in se major fieret, sicut nec Johannes in se minor, qui enim fuit, mansit, sed tantum quoad homines extrinsecè aliquod incrementum autoritatis ipsi accederet. Contra *Smalc. in refut. Smiglec. de errorib. nov. Arrianorum c. III. p. 192.*

LIII. Phrases hæc *ὁ ἀνωθεν ἐρχόμενος* & *ὁ ἐκ τῆς οὐρανῶν ἐρχόμενος* non de loco, sicut angeli de cælo venire & descendere dicuntur, intelligendæ, sed de origine & conditione, ut patet ex *ἀντιθέσει*. Siquidem annotante *Cyrillo Alexandrino* desursum esse, in Script: significat ex